



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus XLI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

Oblatæ injuriæ & opprobria & concoxisti, Regnum bibisti Christiane, gloriarique meritò cum Psalte potes Psal. 15. *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei.* Eximiè D. Ambr. de tentatione Christi. *Qui vult coronam dare tentationes suggerit, hoc est calicem propinat. Et si quando tentaris, agnosce quia paratur corona. Tolle certamina, tulisti coronas, tolle cruciatus, tulisti beatitudines.* O absit illas tollamus! quin ad eas promerendas, amaritudines temporaneas, generoso animo suscipiamus; & calicem tribulationum, alacriter sumamus ut inter illos connumeremur, de quibus Servator. *Beati qui persecutionem patiuntur, propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum cælorum.*



MODUS XLI.

Similiter, ut prior constituitur ex causis aliquot Principalibus Propositionis, redditis & tractatis. Nihil autem refert, utrum sint causæ ejusdem generis, an disparis, ut alia scilicet sit efficiens, finalis alia, alia formalis denique materialis, quanquam & hunc ordinem servare, cui libuerit licebit. Interea hac ratione differt hic modus à priori, quia in priori, ita tractantur causæ aliquot ut omnes unam rem concludant, hic autem singulis causis, suæ doctrinæ illationes, adhortationes adnectuntur.

P R A X I S.

Dominica infra VIII. Epiphaniæ.

Ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei Festi, Remansit Puer IESVS in Ierusalem. Luc. 2.

Accessus & Propositio. Templum hodie Ierosolymitanum puer IESUS adiit, atque ibidem remansit, sequamur euntem, & remanentem ad eam: ut perpensis causis, hujus in tam tenera ætate aditus, ad observationem debitam nos commoveamus.

I. Ratio Principalis aditus templi, ut ostenderet, suam sedem esse templum.

Adiit puer IESUS templum, adiit Pater familias domum suam, adiit Princeps Palatium suum, adiit Rex Thronum & sedem suam: ut ipsa re declaret quod prædixerat apud Esch. 43. cum Prophetæ templum olim ædificandum, monstrasset. *Filii hominis, locus solis mei, & locus vestigiorum meorum, ubi habitabo, in medio filiorum Israel: in æternum.*

Hunc igitur locum, hoc solium hodie occupavit, futurus nobiscum in eo usque ad conlummationem sæculi, ne minus de hoc loco quam de cælo dici possit. Hic locus solius Dei est unde & Psal. 10. utrumq; propheticè jungens, *Dominus in cælo sedes ejus, Dominus in templo sancto suo*: hoc est ille idem Dominus, qui sedem fixit in cælo, pari præsentia adest, residetque in templo; quanquam in cælo

con-

conspicuus, in templo velatus. Confundi igitur gravissimè debemus, nisi hoc ita cogitamus ut simul in templis ea reverentia, quam Dei præsentia requirit, versemur. O si liceret cælestibus sese imiscere cohortibus, facile ab iis disceremus, quo cultu divi cælites, Dominum suum colant, quo vè nos eundem, in templo colere debeamus. Apoc. 4. vidit Joannes ostium apertum in cælo. Quid inde? *Et ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedens. En Regem, & Dominum nostrum, in cælo & templo residentem?* Quod porro ejus famulitium i. Ante ipsum Thronum, erant 7. lampades, qui sunt 7. Spiritus Domini. Secundo quatuor animalia, quorum facies, facies leonis, bovis, aquilæ, & hominis. Tercio viginti quatuor seniores sedentes super thronos, circum amicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ 4. Angeli stabant in circuitu throni ejus. 5. assistebat turba, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis. O admirandam majestatem? O dignitatem, Dei nostri incomparabilem! Multum nostri interest cognoscere, quid hi Throni stipatores agant. Scilicet ut ibidem notatur. Spiritus Seraphici continuo amore flammant, Cherubini & animalia quatuor, non habentes requiem die ac nocte Sanctus Sanctus proclamant: Principes & potestates, ante sedentem in Throno, coronas jactant, Angeli in faciem suam sternuntur, universa turba una voce *Salus Deo nostro & qui sedet super thronum*, personat. Erigere fides Christiana! & confundere ignavia, *Dominus in cælo sedes ejus, Dominus in templo sancto suo. Idem Dominus, idem Deus*

Deus

Deus, quid ergo torpes? imò quid tam irreverenter, oculos, os, verba in præsentia illius jactas? Vide quid debeas. Si Seraphinus es, cura ut in templo in præsentia divinæ majestatis cor tuum animusque, tanquã lampas succendatur. Si Cherubinus & conscius tibi laborum pro Deo tolerantium, ut bos fortitudinis perfectæ Christianæ, ut leo mentis cælo addictæ, ut Aquila: vitæ dignæ homine, ut verus homo: nihilum tamen tuum agnosce: & Deo Sancto Sancto inclama. Si Princeps, es, si potens, si Rex, si Imperator, diadema tuum, ante altaria sternito. Si Angelus, in terram procumbito, si quispiam de populo Dei, salutē Deo & agno dicit, Absint loquelæ, absint cachinni, absit omnis levitas eheu! sicubi, hic certe nunquam levis. O rem intolerabilem! *Dominus in cælo, Dominus in templo sancto suo*, & tamen, qui colitur in cælo, temnitur in terra. Prò pudor? prò vesania! Ignes illi purissimi, libenter ad Dei gloriam uruntur, titio inferni salutis flammam non admittit! Cherubini pleni oculis certiq; salutis, oculos levare ante Deum non audent: vel pertiliones & noctuæ in lucem omnem audacissime jactant! Principes gloriæ, solo adsternuntur: mancipia vilissima, in altum surgere nituntur! discite mortales à cælo, quid agere debeatis in terris, ne si malè tanta exempla temnatis; pessimè ab optimorum confortio excludamini: *Dominus in cælo &c.*

2. Ratio Principalis, aditus templi, ut daretur Exemplum Parenribus, quæ primum via filiis monstranda.

Adiit Puer Jesus templum, tanquam Paterfamilias occupaturus locum suum, sed & voluit in eo videri hospes, in prima pueritia sua, Visitaverat quidem

quidem jam Elisabeth, & Joannem sanctificaverat: sed id factum, in utero Matris. Nunc autem primum, visibili specie, puer tene!lus, adit templum cum Parentibus suis, ut det Exemplum cæteris parentibus quæ primum via monstranda sit filiis, in ætate tenera eorum. Proh! Crimen Christiani sæculi! prius assuefieri pueros ad ludos, quam ad preces, prius deduci ad symphonias, quam ad aras, nondum scire orare etiam didicisse conscientiam profanare. Non sic Christiani, non sic, initium sapientiæ timor Domini, quem docturus servator exemplo, primam eruditionem & instructionem pueritiæ in eo sitam monstrat, ut manu ducantur ad templū, seu ad pietatis, aliarumq; virtutum Exercitia Eccles. 12. Deum time, & mandata ejus serva hoc est enim omnis homo. Eo omnis industria parentum collimet, quatenus apud prolem suam eam mereantur felicitatem, de qua tota eorum & sua ætate gaudere possent. Bonum volunt, cum sic volunt, sed bonum, malè multi volunt, cum licentiæ & insolentiæ frenis laxatis, pietatis & virtutis obliviscuntur. Quid ita? cum enim hæc sinunt, ea sinunt, quæ non possunt, illos pariter ac suos dilectos omni solari tempore, quod scriptura illis verbis commendat. *Hoc est enim omnis homo*, id est, omnis temporis solatiis, serviens homo. Amas filii teneritudinem? cito mutabitur; hoc non est omnis homo. Amas amænitatem, & hilaritatem? cum ætate defervescent: hoc non est omnis homo. Amas valetudinem, & incolumitatem? levissima febri deperdi possunt, hoc non est omnis homo.

Illud

Illud igitur illi in culca. *Deum time & mandata ejus serua. Hoc est omnis homo.* Non rejecerim tamen, illorū quoque Politicorum, civilem sensum, qui explicaturi, quid sit *omnis homo*, ajunt illum esse, qui sit aptus ut proverbium est, *Et ad chorum & ad forum.* At quis talis est? iterum ingemino. *Deum time & c. hoc est omnis homo.* Et ad chorum & ad forum. Vis Magnos Sacerdotes, Episcopos, Archiepiscopos, cogita sincerissimos Dei cultores, Aarones, Samueles. Vis magnos Domus Governatores? cogita piissimos Tobias. Vis magnos Judices, Duces, Principes? Cogita Deo obsequentissimos, Moysen, Josua, Samsonem, Gedeonem, Davidem. Ecce quemadmodum pietas ad omnia est utilis, & quomodo timentes Deum, valent, & ad chorum & ad forum, ac quomodo viri pii sunt *omnis homo*. Tales, ut plurimi juvenum evaderent, præivit Christus exemplo, primumque iter ad templum suscepit, quatenus eo comitatu servatorem, Parentes, filios suos deducerent. Memento igitur *juvenis Creatoris tui in diebus juventutis tue, antequam veniant dies afflictionis Eccl. 12. & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent. & c.*



MODUS XLII.

PROPOSITIONE ut alias præfixa, una tantum, propositionis ratio Principalis assumitur: quæ rationibus minus Principalibus probata, confirmata, exculta, Orationem constituit.

P PRA-